

DE BABRII MYTHIAMBIS

Ad Babrium cognoscendum, quem 'unum de postremis bonae notae scriptoribus' esse Bentleius censuit, cum paucissima eaque incerta et ambigua aliorum conferant testimonia, nunc quidem in iis potissimum rebus acquiescendum est, quae vulgatis ipsius Babrii nomine scriptis contineantur. Neque vero scriptorum omnium illorum una vel simplex fides est. non superstite enim iusto opere et incognito auctoris consilio celebrari laudarique coeperant mythiambi sive, quod usu venit frequentius, choliambi Babriani undecunque partim conquisiti partim reficti vel etiam conficti. Etenim ne confingendi quidem negotium cessavit, postquam Thomas Tyrwhittus, qua erat doctrina et investigandi solertia, Babrii choliambos ex Aesopi fabulis refingi posse ostendit? Est autem metri eius ea natura, ut, istud si agas, satis multas sis apud omnis generis scriptores inventurus sententias, quae aliquam imitantes apologorum speciem, admissa praesertim vel lenissima quaque mutatione, facile concedant in legem choliamborum. Hinc est, quod ante nostram memoriam fabulae Babrianae maximam partem fragmentorum titulo venierunt. Aliquot demum abhinc annis Fors Fortuna ita nobis consultum voluit, ut ipse auctor quid sibi consilii in mythiamborum genere condendo proposuerit, plenius certiusque aut cognosci aut coniectura effici liceret. Rem paucis absolvam.

Ante septennium fere Abelus Villemain publicae in Gallia institutioni praefectus Menoiden Menan hominem genere Graecum literarumque haud mediocriter gnarum in Graeciam miserat 'codices manu scriptos investigaturum antiquitate insignes et integritate, ineditos praesertim, quos nomen auctoris commendaret aut aetas aut argumentum'. Is ergo in bibliotheca Sanctae Laurae montis Atho codicem invenit non solum temporis iniuria sed etiam incuria hominum a conspectu paene oblitescens, qui praeter alia scripta nonnulla

Babrii mythiambos continet numero centum viginti tres, κατὰ στοιχείον dispositos praetereaue duo prooemia, alterum a principio, alterum quo loco litera μ incipit positum, quorum in hac scriptione praecipua habebitur ratio.

Huius inventi apographum effinxit Menas, quamquam non ea, ut videtur, qua par fuit, diligentia negotio illo perfunctus. Nolo hoc a me ita dictum videri, quasi aut omnino fidem illi derogare aut operam eius in malam suspensionem vocare sustinerim, sed interest non nihil inter rei subiectae veritatem et probum hominis consilium, quo decipi possis salva auctoris probitate, quod ne accidat, quantum fieri potest, providendum est. Nam quae literis consignata sunt, recte dici possunt quodammodo ortum debere oculis, manibus, auribus, quarum partium ministerio quae nata sunt sive suscepta, ad ea ponderanda ac propaganda non minus temporis mora opus est quam ingenio et doctrina, scilicet 'velocitas procurrit in facinus', quam tulit sententiam Palladius in simili causa. Erat autem, ut ipse fatetur auctor apographi, non multum temporis concessum ad codicem exscribendum, in quo non deessent vocabula tam oblitterata, ut divinandi operam desiderarent.

Properatum igitur hoc apographum primus edidit Boissonadus anno 1844, sed edidit infaustae obsecutus festinationi. Est sane ubi festinatio aliquam habeat excusationem, sed in prima editione adornanda perinde atque in examinandis et describendis codicibus prisca manu exaratis, si festinaveris, neque veniae neque excusationi locus est. Haec editio gallica gallico ornatu et pretio insignis cum principis debeat honore censer, nostris tamen hominibus probari non potuit, cum magno igitur Babrii emolumento evenit, ut continuo apud Germanos principum in omni literarum genere virorum studia ad augendum exornandumque renascentem iambographum illum concitarentur. Viri tutelares exstiterunt I Bekkerus C Lachmannus G Hermannus A Meinekus alii.¹⁾ A quibus quidem qui cognoverit patrocinium fuisse susceptum illud, is nimirum intelliget, quid sit, cur abstinetur hoc loco a laudandi consilio. neque enim cuilibet concessum est magnos viros laudare, sed hoc fieri licet, ut qua par est modestia dispicias, sicubi forte Babriana illi ipso auctore videantur effecisse praestantiora, in quo ipsorum placitis obtemperabis virtutem adeo, si sit damnosa, recusantium. licet etiam paucis indicare, quid negotii cura emendandi illa exegerit.

Babrii mythiambi hanc tulerunt sortis iniquitatem, ut ab ipso ortu maligna vel aemulorum vel imitatorum manu exciperentur, ut aliquanto post primam editionem quasi curis secundis vindicandi ab alieno ornatu viderentur, qua re non improbabile est accidisse, ut primis iam temporibus, qui Babrii essent et qui ad Babrii exemplum conformati, dubitaretur. Quae deinde aucta dubitatio est, cum col-

1) Babrii fabulae Aesopeae C Lachmannus et amici emendarunt. Berol. 1845.

ligi coeperunt et in ordines redigi pro suo cuiusque ingenio et consilio, si modo dici possunt dubitasse, qui omnia sibi aliisque licere in vacuum possessionem arbitrarentur. Universo enim apologorum generi quasi fato quodam videtur constitutum fuisse, ut pro temporum rationibus hominumque usibus neglecto auctoris consilio diversas induere formas ordinesque varios sequi cogerentur. Talium collectionum uni alicui deberi videtur codex Athous. Is codex manifestissima prodit vestigia librarii, cuius aegre statuas utrum negligentia an inscitia maior perniciosiorque evaserit. Sed ne hoc quidem, qualis est, codice ipso uti licuit editoribus. apographi enim fides quam sit dubia, supra indicatum est. Hinc imposita illis fuit necessitas, ut in dispescendi, refingendi, transponendi, denique mutandi officio plus a se passim impetrarent, quam ipsi fortasse admissuri fuissent in aliis scriptoribus iustisque instructi praesidiis. Neque ad singula tantummodo vocabula singulasque dicendi formulas, sed magis etiam opera illa ad eam pertinebat deliberationem, qua contextae orationis partes ad quandam spuria a genuinis dignoscendi legem exiguntur.

Haec igitur Babriani operis constitutio magna ex parte quasi vicaria est neque spes deficit futurum esse, ut aliquando integrior ex aliquo librorum thesauro Babrius in lucem edatur. Quam spem cave dicas inanem. Nam septuaginta fere abhinc annos Tyrwhittus non dubitarat in hunc modum vaticinari: 'Observationes etiam nonnullas adiciam de collectionibus fabularum tam editis quam ineditis eo maxime consilio, ut spem meam eruditis approbem, multo plura operis Babriani fragmenta in lucem protrahi posse ex codicibus mss. per varias Europae bibliothecas putrescentibus'. At codex Athous etiam laetiora spondet.

Iam vero aggrediendum est, quod propositum nobis diximus, ut duo prooemia illa primum emendemus, passim receptis, quae editores novissimi coniectura probabili effecerunt, ¹⁾ deinde exponere conemur, quae aut doceant nos illa de auctoris consilio aut docere posse videantur. Quo autem facilius ipsi possent legentes emendatum a mendoso dignoscere, exemplum exemplo conferre statuimus.

Prooemium primum

mendosum

Γενεὴ δικαίων ἦν τὸ πρῶτον ἀνθρώπων,
ὦ Βράγχε τέκνον, ἦν καλοῦσι χρυσείην·
τρίτη δ' ἀπ' αὐτῶν τῆς ἐγενήθη χαλκείη,
μῆδ' ἦν γενέσθαι φασὶ θεῖαν ἠρώων·

emendatum

Γενεὴ δικαίων ἦν τὸ πρῶτον ἀνθρώπων
ὦ Βράγχε τέκνον, ἦν καλοῦσι χρυσείην·
ἐφύετ' ἐκ γῆς πάντα μηδὲν αἰτούσης,
θνητῶν δ' ὑπῆρχε καὶ θεῶν ἐταιρείη·

1) Reliquas quoque lectiones adiciendas duxi, quae essent commentarii instar. Quorum in his nomina virorum occurrent, scripturae compendiis signabuntur: A = apographum, B = Boissonadus, Br = Baiterus, D = Duebnerus, H = Hermannus, L = Lachmannus, M = Meinekius, Sch = Schneidewinus, S = Sauppis, c = coniectura.

<p>μέμπτη σιδηρᾶ ῥίζα καὶ γένος χεῖρον. ἐπὶ τῆς δε . . σῆς καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ζώων φωνὴν ἔναρθρον εἶχε καὶ λόγους ἦδει. ἀγοραὶ δὲ τούτων ἦσαν ἐν μέσαις ἕλαις. ἐλάλει δὲ πέτρα καὶ τὰ φύλλα τῆς πεύκης. ἐλάλει δὲ πόντιος ἰχθύς, Βράγχης, νηὶ καὶ ναύτῃ 10 στρουθοὶ δὲ συνετὰ πρὸς γεωργοὺς ὠμίλου. ἐφύει ἔκ γῆς πάντα μηδὲν αἰτούσης. θνητῶν δ' ὑπῆρχε καὶ θεῶν ἑταιρείη. μάθοις δ' ἂν οὕτω ταῦτ' ἔχοντα καὶ γνοίης ἐκ τοῦ σοφοῦ γέροντος ἡμῶν Αἰσώπου 15 μύθους φράσαντος τῆς ἑλευθέρας μούσης. ὦν νῦν ἕκαστον ἂν θεῖης ἐμῇ μνήμῃ, μελισταγές σοι νῶ τὸ κηρίον θήσω πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλύνας.</p>	<p>5 τρίτη δ' ἀπ' αὐτῶν τις ἐγενήθη χαλκείη, μεθ' ἣν γενέσθαι φασὶ θεῖαν ἡρώων. πέμπτης σιδηρᾶ ῥίζα καὶ γένος χεῖρον. ἐπὶ τῆς δ' ἐπεξῆς καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ζώων φωνὴν ἔναρθρον εἶχε καὶ λόγους ἦδει. ἀγοραὶ δὲ τούτων ἦσαν ἐν μέσαις ἕλαις. ἐλάλει δὲ πέτρα καὶ τὰ φύλλα τῆς πεύκης. ἐλάλει δὲ θυννίς ἄγχι νηὶ καὶ ναύτῃ. στρουθοὶ δὲ συνετὰ πρὸς γεωργοὺς ὠμίλου. μάθοις δ' ἂν οὕτω ταῦτ' ἔχοντα καὶ γνοίης ἐκ τοῦ σοφοῦ γέροντος ἡμῶν Αἰσώπου μύθους φράσαντος τῆς ἑλευθέρας μούσης. ὥς νῦν ἕκαστ' ἂν ἐνθεῖης ἐμῇ μνήμῃ, μελισταγές σου νῶ τὸ κηρίον θήσω πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλύνας.</p>
---	--

Huius proemii eam esse conditionem, ut partes complures indigeant emendatione, manifesto apparet. Omittimus leviora, qualia vs. 4 *γενέσθαι φασί* et vs. 5 *μεμπτή*, ubi de scitissima Lachmanni coniectura neque res neque usus sermonis dubitare sinit. iam a gravioribus ordiendum est.

Ac primum quidem versus 12 et 13 nescio quo casu in locum transiecti sunt, quo tolerari non possunt. Illo enim, quod postremum posuerat auctor, ferreo saeculo neque res nascuntur e terra nihil poscente nec iam inter deos ipsosque mortales prisca illa familiaritas intercedit. Haec res cadunt in tempora illa, quibus [Ovid. Met. 1, 101. 107. 149]

ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus

et

ver erat aeternum placidique tepentibus auris
mulcebant Zephyri natos sine semine flores

needum

victa iacet Pietas et virgo caede madentes
ultima coelestum terras Astraea reliquit.

Ad haec nihil proditum eius generis est a Babrio in iis quidem mythiambis, quibus hoc loco praefantem legimus. Ubi enim deorum utitur personis, non dogma sequitur, sed usum fabularem, quo nostri quoque poetae deos fingunt actu conspi-

cuos. nec debent huc referri *μῦθοι Αἰσώπειοι*, quales Nicostratus composuisse perhibetur. Cfr. Schol. ad Hermog. p. 415 ed. Ald.

Quae cum ita sint, versus illi revocandi sunt in sedem ab initio tertiam et quartam, quae ipsis debentur re flagitante. Sed hunc quoque ordinem sequenti versus quintus amissam aliquam videtur partem arguere. Patet enim ab aureo saeculo praefantem nullo argentei indicio transire ad aeneum, quae res notam sane habet inconcinnitatis, sed ita tamen, ut aut tollendae aut elevandae triplex quaedam ratio suppetat. Primum enim videri potest opus esse emendandi periculo, quo in genere apographi prave scriptum *τῆς*, unde *τις* elicuerunt, eo ducit, ut proclive sit ex *ἀντῶν τῆς* refingere *ἀργυρῆς*. De metrica huius loci ratione dubitari posse videtur, sed causa nondum confecta est. ubi enim de hoc potissimum choliamborum corpore ab omni parte quod factum est, plene constiterit, tum demum tutius arbitror ferri licebit de eo genere sententiam. Quamquam hoc ipsum *ἀργυρῆς* pro depravationis indicio haberi debet, ut, sequente altera quadam leni mutatione, legendum videatur

τρίτη δ' ἀπ' ἀργύρου γενέθλη χαλκείη.

Haec scriptura praeter reductam argenteam aetatem id quoque habere commendationis videtur, quod sic quidem proximum *γενέσθαι* a quadam vicinitatis molestia liberatur. Atque *ἀργύρου γενέθλην* facile poterat iambographus transferre ex Homericis locutione [Il. 2, 857] eamque in eum modum resolvere, quo soluta legitur. Neque *ἀπὸ* impedimento est, sequitur enim formulas, qualis est apud Herodotum 17, 129 *ἀπὸ δείπνου γενέσθαι* 'ab ipsa coena', vel Hippocratea illa *ἀπὸ τοῦ σιτίου πίνειν* 'ab ipso cibi usu bibere'. Ceterum quae hoc commento efficitur brevitatis dictorum, duas illas quae hanc excipiunt aetates consideranti non poterit esse offensionis. Sed tamen atrocius si cui videatur hoc remedium ob causam metricam, altera iniri ratio potest quam, si recte memini, novissimi quique emendatores amplexi sunt. Statuerunt enim unum alterumve versum excidisse inter illos, qui auream aeneamque referunt aetatem. Ac potest sane id eodem casu illo factum videri, quo probabile est versus modo revocatos sedibus suis cecidisse. Verumtamen subit tertio loco, ut sine emendatione aut cladis suspitione ita removeas illam sive difficultatem sive dubitationem, ut ponas, hoc sibi indulsisse Babrium, ut ex antiquiore orientalium computatione duas aetates, secundam et tertiam, hoc est argenteam et aeneam tanquam coevas unius nomine complecteretur. Id quo iure facturum fuerit, cognosci licet ex illis, quae Goettlingius exposuit ad Hesiodi OD 109, doctissimam secutus Buttmanni disputationem. Non omnino immunem fuisse Babrium eius discriminis, quodammodo testatur initium alterius prooemii. Neque illud morabitur conciliantem, quod *ἀντὰ* sic quidem positum sit pro *ἐκείνα*. posse enim illam subesse vim, non est cur exemplis demonstratur. Hanc igitur qui acceperit opinionem, eius erit fere

interpretatio: 'iam vero, quae tertia ab aurei saeculi rerum conditione vocari consuevit, nata est aenea'.

Multum porro negotii exhibuit lacuna, quae est vs. 6. δὲ ... σῆς] χρυσῆς D. δ' ἐπίσης L. δ' ἐπεξῆς c.

Dubnerianam coniecturam vere auream dixerunt Turicenses, ¹⁾ ipso fortasse vocabulo invitati, quibus tamen ego ut assentiar adduci non possum. Multo verius certe, id quod auro est pretiosius, doctissimum Lachmanni commentum dici meretur. Nam χρυσῆς non solum Babrii consilio, sed ipsi adeo rei refragatur. Neque enim aurea, sed, ut ita dicam, Aesopea aetate e fabulonis iudicio post humanam indolem reliquis quoque animantibus atque aliis etiam rebus potestas loquendi poetarum ingenio conciliata est. Unde apparet aptius illud effici Lachmanni emendatione: 'hac vero [ferrea aetate], ex aequo reliqua quoque animantia vocem articulatam sortita sunt', hoc est, non solum homines loquendi facultate praediti erant, sed etiam reliqua animalia ratione carentia. Nihilominus in eo perstandum videbatur, quod conieceram ante cognitam illam lectionem. Leve est, quo haec nititur coniectura, sed est tamen aliquid debentque minima quaeque defendi, ubi in iudicandi discrimen venit. Igitur utrobique cogitatione repetendum est, quod verbis expressum non est. id est autem tale quid: hominum ea est natura, ut voce articulata utantur. id autem aliquanto facilius, ut videtur, ad καὶ quam ad ἐπίσης repetitur. Ionicam formam ut praeferrem, metri ratio suadebat, quia vis aspirantis non nihil impedit. Cfr. Tzetz. ad Lycophr. 424.

Qui decimus in apographo versus est, in depravatissimis est: ἐλάλει δὲ πόντιος ἰχθύς νηὶ καὶ ναύτῃ 'vir d' [?]. καὶ πόντιος ἰχθύς, Βράγγε, νηὶ καὶ ναύτῃ. B. [sed excudi iussit ἐλάλει δὲ δέλφις, Βράγγε, νηὶ καὶ ναύτῃ: voluit etiam ναύτῃ]. ἐλάλει δὲ πόντιος, Βράγγε νηὶ καὶ ναύτῃ S. Βράγγε, πόντιος ἰχθύς νηὶ καὶ ναύτῃ Ahrens. ἐλάλει δὲ πόντιος, Βράγγε, νηὶ καὶ ναύτῃ H L M. ἐλάλει δὲ θυννίς ἄγγι νηὶ καὶ ναύτῃ c.

Ne mirum videatur, quod πόντιος placuit compluribus, patrocinio est fabula 71, ubi mare sermocinatur cum rustico

ἤκουσε δ' ἡ θάλασσα καὶ γυναικείην
λαβοῦσα φωνὴν εἶπε.

Sed omnes illae lectiones non satisfaciunt propterea, quod non docent, quo pacto πόντιος ἰχθύς illatus videri possit. Dicam quod sentio: coniecturae, quam proposui, has habeo rationes. θυννίς nomen piscis valde celebratum poetis aptissimum videri iambographo poterat ex iis, quae enarravit Athenaeus VII 67. Sed librarius aliquis male doctus dubitari posse existimabat, θυννίς porcus marinus sit an pisciculus. poterat idem meminisse scriptum de thynnis a Strabone III p. 215: εἶναι

1) Babrii fabulae iambicae, ed. Orellius et Baierus. Turici 1845.

παραθαλάττιον τὸ ζῷον τοῦτο, sive ut maluit Casaubonus θαλάττιον. Inde pro interpretamento apposuit πόντιος ἰχθύς, ne quid de suo scilicet invidisse videretur. Θυννίς deinde et ἰχθύς alteri cuidam oscitabundo sonum reddebat satis similem, ut omissio nomine genuino simpliciter scriberet πόντιος ἰχθύς. Neque ἄγχι inepte Babrius posuit, qui meminisset scriptum ab Athenaeo VI 63: καὶ ἕως μὲν ἂν ἔχη μικρὰ κνήματα, δυσάλωτος, όταν δὲ μείζω γένηται, διὰ τὸν ὄστρον ἀλίσκεται et 64 [Aristotele auctore] καὶ τοῖς πλοίοις πολλάκις ἐμπύπτουσιν. Ut autem ex ἄγχι Βράγγης effingerent librarii, scripturae compendia nescio quae suadere facile potuerunt. Qui postea Βράγγης propagarunt, non satis videntur expendisse, quod iteratum nomen Branchi non tam mentem quam sensum legentis offendat. Ceterum recte iam Boissonadus persenserat, iterato nomine non indigere sententiam et πόντιον ἰχθύν glossematis instar pro nomine piscis alicuius irrepsisse in contextam orationem, sed eo tamen deceptus, quod delphinum maluit quam thynnulam recipere. Vs. 11 γεωργούς] γεωργὸν L.

Non minus laboris est in extrema prooemii parte. Molestum fateor non minus scribenti quam legenti crebrius eadem verba iterari tum scriptione tum lectione. sed eam vim vindico probationis, quae posita est in usu oculorum, ut, quae per partes excussa loco distant, uno quasi conspectu relegas. iniquum praeterea est vel minimas res emendantium tacendo obscurare. Itaque partim ob hanc rem, partim, ut negotio singula redarguendi etiam molestiorem supersedere liceret, contextas subiicere varias lectiones non dubitavi.

- | | |
|---|--|
| <p>A ὦν νῦν ἕκαστον ἂν θείης ἐμῇ μνήμῃ
μελισταγές σοι νῶ τὸ κηρίον θήσω
πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλάσαι</p> | <p>c ὡς νῦν ἕκαστ' ἂν ἐνθείης ἐμῇ μνήμῃ,
μελισταγές σου νῶ τὸ κηρίον θήσω
πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλύνας.</p> |
| <p>D ὦν νῦν ἕκαστον ἂν ἵνα τιθῆς ἐν τῇ μνήμῃ,
μελισταγές σοι, λῶστε, κηρίον θήσω,
πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλ' ἀφηθύνας.</p> | <p>L ὦν νῦν ἕκαστον, ἂν θείης, ἐν μνήμῃ
μελισταγές σοι νῶντι κηρίον θήσω,
πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλύνας.</p> |
- B ὡς νῦν ἕκαστον ἂν θείης ἐν τῇ μνήμῃ. Menas proposuerat ἐν τῇ μνήμῃ.
B pro θηλάσαι maluit θηλάσαι, deinde idem cogitavit de μαλθάσαι et θηλύσαι.
S ὦν νῦν ἕκαστον ὄφρα θείης ἐν μνήμῃ | μελισταγές σοῦ νῶ. idem ὄφρα θῆς ἐν τῇ μνήμῃ.

Iam primum ὦν ἕκαστον, quod plerisque omnibus probatum fuit excepto Boissonado, ideo vix potest ferri, quod praefantis consilio adversari videtur. Neque enim potuit neque voluit Babrius cunctas Aesopi fabulas versibus concinnare, sed delectum molitur, qualem sive casus intulerit sive eius opera, cuius se commodo profitetur illas expositurum. Ad hanc rem ea dicendi ratio requiritur, qua aut incertum rei eventum aut fortuitam aliquam successionem enunciamus, cui rationi ὡς respondet a Boissonado repositum. Sed ne sic quidem apographi oratio constat. corruptionis origo latet in ἕκαστον, quod homo aliquis suo obtemperans ingenio ad ipsos μύθους retulit. Atqui scriptum haud dubie fuit a Babrio ἕκαστ' ἂν. Sunt

autem *ἕκαστα* argumenta illa, quae indicantur verbis *μάθοις δ' ἂν οὕτω ταῦτ' ἔχοντα*, quibus verbis non solum loquendi illa potestas brutis quoque et aliis rebus concessa involvitur, sed etiam omnis sapientia ac civilis prudentia, quae arte illa sive materia fabulari exponitur. Quod sequitur *ἂν* in *ἐν* transformatum coniungi debet cum *θείης*, ut sit *ἐνθείης*. Hoc autem *ἐνθεῖναι τι μνήμη* quid sit, docere possunt, qualia sunt *ἐνθέσθαι θυμῷ* seu *φρονί*, comparato usu, qui est apud Aristophanem Eq. 717: *τῷ μὲν ὀλίγον ἐνταθεῖς*. Ex his similibusque effeceris: rem inducere in memoriam sive memoriae subiicere, rei memoriam excitare. Iam de metro dubitanti satisfacisse sibi videbatur editor Parisinus allatis aliquot exemplis, velut f. 27, 7 *κοιοῦτον* — — —. 97, 2 *προσποιηθείς* — — —. 103, 5 *προσποιητά* — — —. Poterat idem facilem huius licentiae excusationem adiicere. Etenim diphthongorum *οι* et *ει* pars posterior eiusdem vocis vocali praevia capax est proclinationis, qua mitti potest etiam cum sequente ita ut, metro postulante, *ἐνθείης* quantitate nihil, pronunciatione non multum differat ab *ἐνθεης*, ipso *ι* praesonante literae sequenti. Eadem lege continetur, quod de mensura nominis *Ἀθηναίων* ex Atticorum exemplo comicorum Meinekios monuit ad Scymnum Chium p. 57.

Qui sequitur versus, et ipse mendo foedatus est. Nam quod editum apographo est *σοι νοῖ*, cum plerisque improbetur, tuendo vix locum fecerit, quamquam non deesse omnino videtur, quo utcumque muniatur. Iam vero medicinam quaerenti illud potissimum agendum est, ut scriptura vulgata cum dicentis consilio recte concilietur. Lachmanni emendatio ut reliquis est lectior, ita magnam habet a literarum figuris commendationem tollitque dubitationem, si qua est de articulo *τό*. Verum eadem tamen hoc parit incommodi, quod cumulandi notione illum, cui scripsisse putandus est Babrius, non discipulum sive lecturum fabulas aliquem videatur effecisse, sed fabularum coactorem, ipsi haud dubie auctori improbabilem. neque *ἂν θέλης* quidem caret difficultate, si ipsius spectes scribentis conditionem. Omnis illa vitatur ambiguitas *σοι* mutato in *σου*, qua mutatione *νοῖ* servatur, quo aegre hic careas ad consilium praecipientis. Articulus autem *τό* defendi potest illis, quae subtilissime exposuit Kruegerus Synt. gr. p. 93, n. 4.

Denique *Θηλαῖσαι* improbam scioli cuiuspiam manum prodit. quamquam non *Θηλαῖσαι* scriptum in codice suspicor, sed *Θηλαῖναι*. quod qui scripsit, suum duntaxat ingenium Babrio largitus et consilium, mythiambos illos, ne quid erres, pro nutriculis habuit mellifluis, quae quasi mammam praeberent legentibus. Noverat praeterea verbum *Θηλαίνειν*, quod idem esset cum *Θηλαῖζειν*, unde effinxit *Θηλαῖναι*. Reliqua praestabit Kusterus ad Hesychii *Θηλαντο*. hoc loco sufficebat dubia illinc repetisse in librarii censuram quippe hominis depravantis. Fuit ille autem ex eorum numero, quorum stilus non abhorreret ab hoc infinitivi usu, qualis placuit Gabriae sive Ignatio insulsissimo tetrastichorum torneutae, velut f. 15 [ed. Venet.]

ὅσον γὰρ ἂν βλάβειας, εὐρήσω τάχα
 πρὸς θυσίαν σὴν εἰς θεοῦς οἶνον βλύσαι.

Nihil opus fuit igitur Boissonadi artificio, ut ederet *Θηλάσσαι*, cum praesertim ne constet quidem, quid codicis illius auctores de ultima choliambi sede cognitum perceptumque habuerint. pertinet ergo huc, quod F A Wolfius praecepit ad Hesiodi Theog. 196: 'editoris esse, auctorum texta emendare, non glossarum fraudes corrigendo celare'.

Nimium ab apographi scriptura recedit Dubneri commentum καὶ ἀφηδύνας fingentis, iam eam ob causam minus utile, quia eodem fere redit, quo nostri editores conspirant propius ab elementorum similitudine coniiicientes *Θηλίνας*, quod merito in textum recepit Lachmannus. Hanc igitur prooemii partem hoc modo interpretamur: 'Iam ut singula quaeque in memoriam induxeris meam, singuli cuiusque favum effingam mellifluum ingenio tuo subigendum, duris acrium iamborum colis mitigatis subiecta materie fabulari'. Fortasse aliquantulum haec interpretatio confirmabitur in altera huius scriptionis parte, ubi de ipso Babrii consilio quaeretur.

Prooemium alterum

mendosum

emendatum

Μῦθος μὲν, ὃ παῖ βασιλέως Ἀλεξάνδρου
 Σύρων παλαιῶν ἐστὶν εὐρεμ' ἀνθρώπων,
 οἱ πρὶν ποτ' ἦσαν ἐπὶ Νίνου τε καὶ Βήλου.
 Πρῶτος δὲ πᾶσιν εἶπε παισὶν Ἑλλήνων
 Αἴσωπος ὁ σοφός· εἶπε καὶ Αἴβυς, τινὸς
 λόγον Αἰβύσσης. Ἄλλ' ἐγὼ νῆν μούσῃ
 δίδωμι, καθαρῶ χρυσεῶ χαλινώσας
 τὸν μυθίαμβον, ὡς περ ἵππον ὀπλίτην.
 Ἐπ' ἐμοῦ δὲ πρώτου τῆς θύρης ἀνοιχθείσης,
 εἰσῆλθον ἄλλοι, καὶ σοφωτέρας μούσης
 γρίφοις ὁμοίας ἐκφέρουσι ποιήσεις,
 μαθόντες οὐδὲν πλεῖον ἢ με γινώσκειν.
 Ἐγὼ δὲ λουκῆ μυθιάζομαι ἤήσει,
 καὶ τῶν ἰάμβων τοὺς ὀδόντας σου θήγω.
 Ἄλλ' εὐ πυρώσας, εὐ δὲ κέντρα προήνας,
 ἐκ δευτέρου σοι τήνδε βίβλον ἀείδω.

Μῦθος μὲν, ὃ παῖ βασιλέως Ἀλεξάνδρου,
 Σύρων παλαιῶν ἐστὶν εὐρεμ' ἀνθρώπων,
 οἱ πρὶν ποτ' ἦσαν ἐπὶ Νίνου τε καὶ Βήλου.
 Πρῶτος δ' ἐπαῖσεν εἶτα παισὶν Ἑλλήνων
 Αἴσωπος ὁ σοφός· εἶπε καὶ Αἴβυς ψιλούς
 λόγους Αἰβύσσης· ἄλλ' ἐγὼ νῆν μούσῃ
 δίδωμι καρχάρῳ λίκῳ χαλινώσας
 τὸν μυθίαμβον ὡς περ ἵππον ὀπλίτην.
 Ἐπ' ἐμοῦ δὲ πρώτου τῆς θύρης ἀνοιχθείσης
 εἰσῆλθον ἄλλοι καὶ σοφωτέρας μούσης
 γρίφοις ὁμοίας ἐκφέρουσι ποιήσεις,
 μαθόντες οὐδὲν πλεῖον ἡμῆ γινώσκειν.
 Ἐγὼ δὲ λευκῆ μυθιάζομαι ἤήσει,
 καὶ τῶν ἰάμβων τοὺς ὀδόντας οὐ θήγω.
 Ἄλλ' εὐ πυρώσας, εὐ δὲ κέντρα προήνας
 ἐκ δευτέρου σοι τήνδε βίβλον ἀείδω.

° Ad legem metricam: λίκῳ δίδωμι καρχάρῳ χαλινώσας.

Vs. 2 παλαιῶν] παλαιῶν L. Vs. 4 πᾶσιν] πάντων B φασιν Sch ἐπαῖσεν c.

Quod a Lachmanno receptum est φασιν, durius hoc loco dictum videtur. aegre enim per interstitem hanc collocationem verbum illud suscipit εἶπε significatione cognatum. id certe cavendum est, ne voluisse Babrius videatur tanquam dubi-

tanter ponere Aesopum apud Graecos auctorem fabularum, quae in genere essent apologorum, ea enim res vulgo constabat, neque omnino eum spectat, qui primus in Graecia usus sit apologis, quod si fecisset, aut Hesiodi aut aliorum uti debuit exemplo, sed eum praedicat, qui primus solis nudisque apologis rectum, hoc est, prudentem vitae usum docere instituerit. is autem communi omnium consensu fuit Aesopus, quare non tam apte potuit ille dicere *φασιν*, quam *ἐπᾶσεν*, in quo si quis de augmenti apud Babrium usu ambigat, eum iubet securum esse Knochius¹⁾ p. 108. 117, quantumvis reclamante Boissonado p. 72. 252. 255. Iam qui *ἐπάδουσι μύθους*, suavissime demulcent animos audientium, hoc nomine diversi ab illis, qui simpliciter recitant ieiuna vel exilia aliorum inventa. qui verbi usus ne a pedestri quidem oratione alienus est. est enim *ἄδειν* suaviter narrare, enarrando demulcere apud Lucianum in Herodoto c. 1: *ἀγωνιστήν Ὀλυμπίων παρεῖχεν ἑαυτὸν ἄδων τὰς ἱστορίας καὶ κηλῶν τοὺς παρόντας*. Non dubium est autem, quin hoc loco praecipuam illam laudem Phrygio fabulatore Babrius conciliatum iverit. cui vero *ἐπᾶσεν* probatum fuerit, is facere non poterit, quin pro *εἶπε* legat *εἶτα*, quod hic quidem abesse vix potest. Id agitur enim, ut incrementa apologorum per temporum intervalla paucissimis quidem verbis, (nam utrumque prooemium sententiarum brevitate insigne est), sed perspicue tamen signata exponantur. Primi, ait, homines Syri auctores exstiterunt mythorum, sed primus deinde apud Graecos Aesopus auxit id genus illorumque ad mores excoluit.

Vs. 5 *λίβυς, τινός*] *Λιβυστίνος* D. *λιβυστίνοις* Sch. *Λίβυς θινός* Br. *Λίβυς ψιλούς* c.

Ut *ψιλούς* scriberem, duae me causae permoverunt, primum ut *Λίβυς* servaretur, deinde ut qui sequitur, *μυθίαμβος ὡςπερ ἵππος ὀπλίης* orationis figuram haberet excusabilem. Atque *Λίβυς* quidem ut muniatur, argumentum suadet, quod memoriae prodidit Theon Aelius sophista Progymn. c. 3: *καλοῦνται δὲ [μῦθοι] Ἀσώπειοι καὶ Λιβυστικοὶ ἢ Συβαρτικοὶ τε καὶ Φρύγιοι καὶ Κιλικιοὶ καὶ Καρικοὶ καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Κύπριοι. τούτων δὲ πάντων μία ἐστὶ διαφορά τὸ προσκείμενον αὐτῶν ἐκάστου ἴδιον γένος, οἷον· Ἀίσωπος εἶπεν ἢ Λίβυς ἀνὴρ ἢ Συβαρτίτης ἢ Κυπρία γυνή καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ τῶν ἄλλων. quae post oïon relata sunt, habenda videntur pro verbis conceptis, ut non recte diceretur sermone vulgari *εἶπε Λιβυστίνος*, sed *εἶπε Λίβυς ἀνὴρ* sive *Λίβυς*. Possunt cum his conciliari non solum quae Hesychius scripsit v. *Λιβυκοὶ λόγοι*, sed etiam quod Theon deinceps retulit *Κιβυσσὸν ἐκ Λιβύης* auctorem fabularum, quae essent Libyci coloris. Sed in Hesychii verbis mendum est. scriptum enim legitur: *Λιβυκοὶ λόγοι· Χαμαιλέων φησί, Λίβυν τὸν εἶρεῖν τοὺς λόγους τούτους*. iam vero τὸν cum manifestum teneat indicium corruptionis, alii coniecerunt *τινά*, alii τὸν *εὐρόντα*. atqui credibilis videtur scriptum fuisse ab Hesychio:*

1) Babrii fabulae et fabularum fragmenta ed. Knochius. 1835.

Χαμαιλέον φησί, Αἴβυν πρῶτον εὔρεϊν τοὺς λόγους τούτους. nam prior syllaba postea aliquo casu evanuisse putanda est. itaque *Αἴβυς* communi usu vocatur auctor fabularum *Libydidum*. cui rei non repugnat ille *Κιβυσσός* ἐκ *Αιβύης*. *Κιβυσσός* enim *κυρίως*, *Αἴβυς* autem *ἔθνηκῶς* dici consuevit.

Consulendum deinde aiebam τῷ *μυθιάμβω ὡςπερ ἵππῳ ὀπλίῳ*, ne in hoc genere insolentiori usus figura *Babrius* videatur. Potest sane haec dicendi figura ad illam referri rationem, qua currum dici poetis *Naekius* docuit ad *Choerilum* p. 109, sed praestat ex ipsa argumentorum conditione aliquam repetere commendationem. Iam primum *ψιλὸς λόγος* est oratio pedestris, proinde *ψιλοὶ λόγοι* sermones pedestres, quibus videri potest *Babrius* significasse apologos pedestri oratione conceptos, qui opponerentur fabulis metro inclusis, quales a se efformatos gloriatur. Neque vero in sola dicendi forma discrimen illud cernitur, sed potest τὸ *ψιλόν* etiam designando argumento inservire. quemadmodum enim οἱ *ψιλοὶ* (*γυμνοί, γυμνήτες, γυμνήται*), qui iidem *ἀνοπλοὶ* dicuntur *Herodoto* IX 63, et genere sunt viliores et viliora sequuntur negotia, ita *ψιλοὶ λόγοι* tanquam *ἀνοπλοὶ* causam agunt levioris momenti. Dicti autem videri possunt *ψιλοὶ λόγοι* apologi illi propterea, quod in argumentis versarentur solam voluptatem spectantibus, quibus aut pueri aut mulierculae delectarentur. His ergo quasi leviter militantibus in omni vitae usu sive *ἀνόπλοις* opponitur *μυθιάμβος ὡςπερ ἵππος ὀπλίης*, qui ad evincendas graviore vitae rationes contendat. merito autem id negotium huic praecipue militantium generi (τῷ *στρατιωτικῷ γένει*) datum esse non inficiabitur, quicumque meminerit, quantum dignitatis obtinuerit ἢ *ἐπιείας*. Confer, si tanti videtur, *Wachsmuthi* H. A. I p. 388. II p. 297.

Vs. 6 *λόγον Αιβύσσης*] *γόμφ* s. *γόνοις* D. *λόμφ* [poetice 'de populo'] B. *λόγους λίβυσσιν* M *λόγους Κιβυσσός* H Sch. *λόγους Κιβύσσης* As. *λόγους Αιβύσσης* c.

Syri antiquitus *μῦθον* invenerant, quae *Babrii* erat opinio, quo genere apparuerit ingenium et consuetudo orientalium. *Aesopus* deinde apologos accinebat iuventuti Graecorum, quod tamen noli ita dictum putare a *Babrio*, quasi mera puerorum ludicra tribuerit *Aesopo*, quum illo potius sensu dixisse existimandus sit, quo pueris res gestas enarramus scribimusque viris demum intelligendas, ac, si fieri possit, aut imitandas aut refugiendas. A genuino fonte illo deflexerat genus levidense, cui operam darent nutriculae hoc unum sectantes consilium, ut tempus suaviter tereretur, cuius notae fuisse videntur, quae *Αἴβυς Αιβύσσαις* s. *Αιβύσσης* ludebat. Non constat enim fides illorum, quae refert *Isidorus Hispalensis* I 39: 'Sunt autem fabulae aut *Aesopicae* aut *Libysticae*. *Aesopicae* sunt, cum animalia muta inter se sermocinasse finguntur, vel quae animam non habent, ut urbes, montes, petrae, flumina. *Libysticae* autem, dum hominum cum bestiis aut bestiarum cum hominibus fingitur vocis esse commercium'. Sophistarum hae sunt captationes. Ceterum haud inconsulto *Αιβύσσαι* videntur positae iuxta *παῖδας Ἑλλήνων* ad genera apologo-

rum distinguenda, quae inexplorata reliquit Theon dicens τὸ πρόσκειμενον αὐτῶν ἐκάστον ἴδιον γένος. A reliquis ergo omnibus μυθίαμβος Babrianus discriminatur tanquam relator quidam causae gravioris aliquando virorum studia excitaturae.

Vs. 7 δίδωμι, καθαρῶ χρυσέῳ] χρυσίῳ B. φαλάρω χρυσέῳ D. ἄδω κεκρυφάλα χρυσέῳ L. δίδωμι καρχάρῳ λύκῳ c.

Doctum scitumque fateare, quod scriptum a Lachmanno est, sed paullo longius abest a vulgatae lectionis similitudine praetereaue ornatum infert cum hoc loco vix conciliandum. Non nego sane ad poeticam paene in his laudem surgere iambographum, sed idem tamen mythiambis praefatur certis naturam eorum signis expositurus, quae suadebant rationes, ut scriberetur δίδωμι καρχάρῳ λύκῳ. Videntur autem verba illa hoc modo abisse in depravationem: minus perspicue cum exaratum fuisset καρχαροί, librarius aliquis scriptum legebat καθαρῳ. quod quid sit cum alter quidam dubitaret, auri splendorem commentus est. Neque vero incognita poetis erant aurea lupata, velut Martial. 1, 105, 4: 'mordebant aurea quod lupata cervi', quorum facile meminisse poterat homo dubitator. ad postremum idem accidit, quod prioris prooemii versu 12 exposuimus, ut vocabula genuina cederent interpretamento, unde καθαρῶ χρυσέῳ, quod exhibet apographum. De λύκῳ autem dubium esse non potest. Hesychius: λύκος — καὶ τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήριον. Plutarch. S. Q. 2, 8: ἵππους λυκοσπάδας οἱ μὲν ἀπὸ τῶν χαλινῶν τῶν λύκων ἔφρασαν ὀνομάσθαι διὰ τὸ θυμοειδὲς καὶ δυσκάθεκτον οὕτω σωφρονομένους — neque κάρχαρον abludit, quod idem significare cum τραχὺ vel δξὺ discimus ex Hesychii κάρχαροι et κάρχαροι. simile est, quod legitur apud Oppian. de pisc. 1: καὶ ἔνδοθι κάρχαρον ἔρκος. Est autem figura illa ad Babrii mentem aptissima, utpote comparantis τὸν μυθίαμβον cum ἵππῳ ὀπλίτῃ, qui per se quidem ἵαμβον promittit, quem proprie vocamus, quare addendum ab illo fuit, quo mitigaretur figura, quod non aptius fere potuit fieri, quam frenis lupatis. his enim acrior coercetur equus et animosior, quominus irruat iusto ferocius. signatur autem καρχάρῳ λύκῳ materia fabularis, ducta a coercendo seu mitigando similitudine. nam ea quidem re imprimis cautum ille voluit, ne evaderent carmina Archilochica sive Hipponactea, quorum proprium fuit τὸ ἱαμβίζειν. denique his verbis apprime respondent τὰ κέντρα, quae profitetur a se auctor mitigata. Vs. 12 ἦ με] ἦμὲ L. Vs. 13 λονκῆ] λευκῆ B. Vs. 14. σου] οὐ D.

Transeo ad alteram partem, qua utriusque prooemii argumenta sic exponere institueram, ut appareret inde, quid consilii secutus esse Babrius videretur in condendo mythiamborum genere.

Quicumque antiquitus commenti sunt de rerum primordiis, duplicem potissimum in prisca generis humani conditione definienda inierant rationem, per initia quidem dissociabilem, sed in ipso fine ut videtur congruam: aut enim rudes primum homines et incuria silvestri non multum a ferarum asperitate dissimiles memora-

bant, quibus non is quo postea uti coeperunt victus fuerit, sed qui sero demum sperarint de sulcis alimoniam, aut ita fingeant exordium rerum et ipsius humanae originis, ut aurea primum saecula fuisse indeque natura per metalla viliora degenerans ferro saecula postrema foedasse crederetur. Cfr. Macrob. Som. Sc. 2, 10. Sed varia fuit ac diversa apud veteres et de numero illarum aetatum et de natura singularum opinio. Quam Hesiodus exposuit OD 108—209, ea numerum completitur quinarium, a quo numero discrepat Ovidius, cui quatuor placuerunt Met. 1, 89—150, Aratus, cuius sunt tres Phaen. 100, Virgilius Georg. 1, 125 coll. Aen. 8, 314 et Tibullus 1, 3, 35, quibus duae sufficiebant. Hesiodaeae autem computationis, quam conflata e pluribus coniciat, auctoritas plurima fuit. hanc Babrius tam religiose secutus est, ut ipsa adeo verba illius pressisse videatur.

Iam orta generis humani depravatione illa [Ovid. Met. 1, 128]

Protinus irrupit venae peioris in aevum
omne nefas, fugere pudor verumque fidesque,
in quorum subiere locum fraudesque dolique
insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.

His insigne vitiis ac notabile esse saeculum ferreum communis invaluerat opinio, ipsa humana indole testante commenta poetarum. hae improbae artes erant illae, quarum atrocitates deinceps per tempora non solum ferro sed etiam auro foedata aut arcere a se aut profligare aut inflectere vel mitigare aut denique aequo animo sustinere cogerentur, si qui non ad inferendas sed ad ferendas iniurias nati viderentur. depravatus ille rerum humanarum status tanquam fons exstitit et iniuriarum et malorum inde nascentium, ex quo fonte suscipiendis vitae consiliis aut modum repetere aut quasi quaedam pretia sibi quisque statuere coeperunt, hinc ut aliis nocendo sibi consulerent iniuriosi, hinc ut se suasque res ab iniuriis tuerentur fortunatis vadati. quid multa? ferreo saeculo vis coepit et nequitia excitare ingenia et acuere tam in fraudes quam in tutandi ac defendendi pericula. quorum aut res essent angustiores aut fortuna durior, illi videlicet usu experiri coeperunt, quod non fuit fere nisi fabulonibus concessum fateri [Phaedr. 1, 6]

Contra potentes nemo est munitus satis,
si vero accessit consiliator maleficus,
vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Istud muniendi negotium ubi primum non potuit humana oratione transigi nisi cum periculo praesentissimo, bruta animantia in patrocinium vocata sunt, quae prima videtur ac vera fuisse origo apologorum, eamque secutus est Babrius. Non magno pere mihi probatur Iuliani opinio, qui (Or. VII) primam ponit fabulam fuisse ex-

cogitatum *ταῖς τῶν παιδίων ψυχαῖς*, qua nutrices oblectarent parvulos, exinde inventum apologum in usus virorum: τοῦ δὲ τοιοῦτου [τοῦ μύθου] προβαίνοντος καὶ παρὰ τοῖς Ἑλλησιν εὐδοκιμοῦντος εἰκνυσαν ἐντεῦθεν οἱ ποιηταὶ τὸν αἶνον, ὃς τοῦ μύθου διαφέρει τῷ μὴ πρὸς παῖδας, ἀλλὰ πρὸς ἄνδρας πεποιῆσθαι καὶ μὴ ψυχαγωγίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ παραίνεσιν ἔχειν τινά· βούλεται γὰρ ἐπικρυπτόμενος παραινεῖν τε καὶ διδάσκειν, ὅτου ὁ λέγων τὸ φανερωῶς εἰπεῖν εὐλαβῆται τὴν παρὰ τῶν ἀκουόντων ὑφορώμενος ἀπέχθειαν. quippe tempore prior fuit sui cuiusque tutandi cura quam puerilis institutionis. sed postrema verba ad nostram causam faciunt.¹⁾

Est autem fabula res ratione gesta a personatis sive brutis animantibus sive rebus inanimis, qua re cogitata dicentis animique sensa aperiantur audientibus interposita aliena opera, unde apparet, Hesychii interpretationem, cui μῦθος est etiam λόγος εἰκάζων τὴν ἀλήθειαν, sic demum veram esse, si cogitatis illis animique sensis verum contineatur. Tribuitur autem internunciis illis oratio humana, ut aut periculum minuatur dicentis aut rei perspicuitas augeatur sive etiam voluptas audientis. Pro hac igitur consiliorum diversitate diversae sunt causae, quibus impelli queas ad inveniendos apologos. aut enim consilium subest simpliciter docentis vel persuadentis [Liv. 2, 32] aut delectantis aut utrumque molientis aut denique castigantis sive reprehendentis. unde tria nascuntur genera: didacticum, poeticum, reprehensorium. Quae consilia cum et carmine et prosa oratione persequi possis, consentaneum est, ut ipso genere apologos aequae ad poetas atque ad pedestris orationis scriptores pertinere statuas. praeter ipsos ergo proprie qui vocantur fabulones, apologorum auctores exstiterint necesse est tum poetae tum omnis generis scriptores pedestres. quocirca multifarie damnosa evasit solertia eorum, qui nimii fuerunt in communibus apologorum auctoribus investigandis. cuius rei testimonio multorum instar esse possunt qui de Archilochi fabulis copiose disseruerunt. Ea enim cum sit natura apologorum, ut iidem ad rem quidem verbis expositam similes, ipso tamen consilio esse possint diversi vimque habere diversam, facile fieri potest, ut quemadmodum positi in imitatione propriam vim quandam assumunt a veri auctoris invento, ita per ementitam auctoritatem eius, qui utitur, sententiam aut pervertant aut corrumpant. Exemplo rem illustrabo. Fabula apud Babrium 32 de mustela est. ‘Mustela virum adamarat insigni auctum pulchritudine. cupientem Venus mutari sinit in feminam. captus deinde venustate uxorem ille ducere transformatam instituit.

1) Etiam minus probabilis est Huschkii explicatio, qui de fabulis Archilochi disserens ‘vere, ait, mihi videor adfirmare, origines fabulae ab antiquissimi saeculi opinione repetendas esse, quum loqui animalia et rationis aliquem habere usum facile crederent homines inter bestias bestiarum more passim vagantes. Quod quum animadverteret nescio quis ceteris ingenio pollentior, qui prodesse docendo vellet, usus hac credulitate fecit fabulae fundamenta’.

Iam vero epulis dum accumbunt, praeterlabente musculo, sponsa stratis relictis fugientem persequitur. Amor ridens abiit'. Haec res simpliciter narrata nihil aliud quam docet: varium mulieris ingenium non emendari ascita venustate. Sed eiusdem fabulae vim immutavit Iulianus epist. 59. Dionysio enim sycophantae postquam vitae ante actae crimina ignaviae exprobravit, ita pergit: τὸν μῦθον ἀκήροιας· 'γαλῆ ποτ' ἀνδρὸς εὐπρεποῦς ἐρασθεῖσα'. τὰ δὲ ἄλλα ἐκ τοῦ βιβλίου μάνθανε. Ita vero ipse locus efficit, eadem fabula ut animum legentis mordeat. hic auctor ipse alienum inventum voluit significatum effecitque, quod qui figurate loquuntur. Contra vero qui cum Huschkio [fab. Archil. p. 244] Babrium fecerit ab Archilocho mutantem vulpeculae ingenium, frustra erit: 'quaecunque fabula vulpeculam ita repraesentat, ut desideretur τὸ κερδαλέον et ποικίλον ab Archilocho ei tributum, ea vel spuria est vel interpolata'. Nempe Archilochia vulpecula tantum differt a Babriana, quantum Babrii ingenium ab Archilocho distat. Diligentissima igitur cautio est adhibenda in apologis a principe aliquo inventore derivandis. eadem enim causae cum eundem fere habeant effectum, consequens est, ut eadem res gesta personati generis temporibus diversis a diversis hominibus aut simili aut diverso consilio inveniri potuerit. iniquissime autem negaveris fieri potuisse, ut eiusdem apologi complures exstiterint auctores, ut neque narrandi opportunitate neque usu literarum opus fuerit ad propagandum in aliorum cognitionem. Nullum fuit omnino tempus, quo universum genus humanum solis constiterit hominibus bardis, quorum non pauperint ingenia vel notationi naturae vel necessitati, efficacissimae artium magistrae. Similis videtur Strabonis opinio fuisse, qui I p. 18 scripsit: — καὶ πρῶτον οὐ τοὺς μύθους ἀνεδέξαντο οὐχ οἱ ποιηταὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ πόλεις πολὺ πρότερον καὶ οἱ νομοθέται τοῦ χρησίμου χάριν. eodem illa redit occasio, qua celebratissima Menenii Agrippae fabula inventa est a Livio commemorata.

Quod tamen cum addubitasse videantur sophistae, quorum haud raro pluris intererat novisse, quis dixerit, quam quid dictum sit, rectae apologorum cognitioni, quam quidem auctam illos voluisse patet ut plurimum, plus nocuerunt quam profuerunt. Melius certe rei consulissent, si non tam communem aliquem fabularum auctorem quaesivissent, quam singuli cuiusque generis cum argumenta tum consilia rationesque exposuissent. sed maluerunt illi partim in ambiguis acquiescere, partim abire in absurda. ambiguum est enim, quod Theon sophista, quocum alii fere consentiunt, loco supra commemorato [Prooem. II, 5] retulit. omisit enim, id quod praecipuum fuit, amplius docere, τὸ προσκείμενον ἐκάστου ἴδιον γένος in quibus tandem rebus positum fuerit. sed plane absurdum est, quod Hermogenes commentus est Prisciano interprete: 'Nominantur autem ab inventoribus fabularum aliae Aesopiac, aliae Cypriac, aliae Libycae, aliae Sybariticae. omnes autem communiter Aesopiac dicuntur, quoniam in conventibus frequenter solebat Aesopus

fabulis uti'. Imo vero, communiter dici Aesopiae consueverant non quia Aesopus frequenter uti fabulis solitus esset in conventibus, quod ipsum insigne hario-landi documentum est, sed quia vulgus sophistarum omnes promiscue apologos Aesopo tribuere quam suum cuiusque generis auctorem investigare et consilia exemplis demonstrare satius putaverunt. Cautius egit Quintilianus V 11, 9: 'Illae quoque fabulae quae etiamsi originem ab Aesopo acceperunt, nam videtur earum primus auctor Hesiodus, nomine tamen Aesopi maxime celebrantur'. quocum fere consentit Theon Prog. c. 3, p. 29. ceterum confer, si res tanti est, Isidorum Hisp. 1, 39. Vossii Inst. or. 2, 15, 2.

Aesopi fabulas comparantem cum iis rebus, quas partim Vitae auctores, ¹⁾ partim alii scriptores ad ipsum referunt, recta ratio docebit, Phrygium fabulatore illum ex eorum fuisse hominum censu, quibus prudentia cum honore etiam fructum sapientiae largitur. Constat enim Aesopum in sapientum numero censi iam apud antiquos solitum et non solum ab Herodoto aliisque rerum scriptoribus, sed ipsis adeo viris in philosophia principibus Platone et Aristotele non obscure hoc nomine laudatum fuisse. Quam tamen rem cave simpliciter dictam accipias. aliter enim sapiunt homines ingenui et liberales, aliter servitia iique, qui potentiorum dominationi arbitrioque obnoxii aut sunt aut esse sibi videntur. A genuina sapientia, cuius pars praecipua in invicto veritatis studio posita est, discerni debet imitatrix illa, quae non tam recte quam circumspecte agendo vires assumit, civilis ista comptiorque providentia, qua utimur, cum aut salvas aut fortunatas res nostras cupimus, denique ambigua illa servilis ingenii sapientia, quam merito dixeris prodigiosam, si vulgarem eius proventum ad masculam virtutem exegeris. hanc ambiguum sapientiam homo Phrygius non mediocriter calluisse existimandus est.

Non defuerunt, qui Aesopum eundem fuisse cum Locmano opinarentur [cf. De Furiae Proleg. ad Aesopum p. XII], in qua opinione per se satis inepta illud inesse verum videri potest, quod utrumque prae ceteris insignem reddidit. Ferunt autem Locmanum interrogatum a quodam, quo pacto ex humili conditione ad laetio-riorem fortunae statum pervenerit, eo respondisse, quod didicisset vera dicere et ea tacere, quae sibi prodesse non possent. Pulchre cum his conveniunt, quae Aesopus suasisse Soloni dicitur, cum una essent apud Croesum regem Lydo-rum. Solon enim in longiorem ingressus orationem apud regem illum cum ea ute-retur dicendi libertate, quae non multum abesse a periculo videretur, Aesopus, ut homo prudens, qui satis diu scilicet vixisset inter aulicos homines cognitosque haberet mores illorum neque ignoraret veritatis insolentiam, decere admonebat

1) Praeter Planudeam dico illas, quas edidit Westermannus Brunsvigae 1845.

cum regibus agere ὡς ἤκιστα ἢ ὡς ἤδιστα. cui tum Solon, ut vir sapiens, auctori tam scito respondisse fertur: versandum utique esse cum regibus ὡς ἤκιστα ἢ ὡς ἄριστα.¹⁾ quo praecepto ac responso, a regibus si causam ad communem vitae usum et consuetudinem transtuleris, luculenter apparet, in qua re unum et gravissimum omnis ἡθοποιίας momentum positum sit. Solon enim ubique obtemperandum recto veritatis studio, non facto rerum hominumque discrimine, Aesopus vero cum regibus quidem quam suavissime, cum reliquis autem hominibus promiscue agendum censuit. nam erat idem ob insigne quoddam ingenii acumen ad reprehendendum deridendumque proclivis, unde apud Plutarchum [Conv. S. 7] ἐλεγ- κτικός vocatur, cui studio scitissima apologorum argumenta debentur. derisorem celebratissimum illud Αἰσώπου γελοῖον testatur, quod passim detorsum est εἰς τὸ παι- δαριῶδες, unde aut imperiti aut maligni scurrilitatem ei affinxerunt, quibus tamen non annumerandus est Lucianus huius generis iudex argutissimus, qui V. H. 2, 18 Aristippo et Epicuro Aesopum adiunxit risus auctorem: τούτῳ δὲ ὅσα καὶ γελο- τοποιῶ χρωῶνται. est ibi enim ad partes eius, qui ‘amara lento temperet risu’, quo sensu τὸ Αἰσώπου γελοῖον ubique pensitandum est. Ceterum bene cordatus ille fuit,²⁾ sed pro vitae statu suae cautus idem ac providus, qui praestare intellexis- set apologis et facete deridendo vel emendare improborum mores vel reprehendere, quam ‘fortiter irascendo’ ac frustra offendendo incurrere in odium invidiamque ad- versariorum.³⁾ Haec animo complexus Aesopum habebis, qualem artifices effin- xerunt apud Philostratum Imag. 3: φοιτῶσιν οἱ Μῦθοι παρὰ τὸν Αἰσώπου ἀγαπῶντες αὐτὸν, ὅτι αὐτῶν ἐπιμελεῖται. ἐμέλησε μὲν γὰρ καὶ Ὀμήρῳ μῦθον καὶ Ἡσίοδῳ καὶ Ἀρχι- λόχῳ πρὸς Ἀνκάμβην, ἀλλ’ Αἰσώπῳ πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐκμεμῦθται καὶ λόγου ἕνεκα. πλεονεξίαν τε γὰρ ἐπικόπτει καὶ ἵβρον ἐλαίνει καὶ ἀπάτην καὶ ταῦτα λέων τις αὐτῷ ὑποκρίνεται καὶ ἀλώπηξ καὶ ἵππος νῆ Σία, καὶ οὐδὲ ἡ χελώνη ἄφρωνος. ὅφ’ ὧν τὰ παιδία μαθητὰί γίνονται τῶν τοῦ βίου πραγμάτων. εὐδοκιμοῦντες οὖν οἱ μῦθοι διὰ τὸν Αἰσώπου φοιτῶσιν ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ σοφοῦ ταινίαις αὐτὸν ἀναδύσοντες καὶ στεφανώ- σοντες αὐτὸν θαλλοῦ στεφάνῳ. ὃ δὲ οἶμαί τινα ὑφαίνει μῦθον. τὸ γὰρ μειδίωμα τοῦ προσώπου καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ κατὰ τῆς γῆς ἐστῶτες τοῦτο δηλοῦσιν. οἶδεν ὁ ζωγράφος, ὅτι αἱ τῶν μύθων φρονίδες ἀνειμένης τῆς ψυχῆς δέονται. σοφίζει δὲ ἡ γραφή καὶ τὰ τῶν μύθων σώματα. θηρία γὰρ συμβάλλονσα ἀνθρώποις περίστησι χορὸν τοῦ Αἰσώπου ἀπὸ τῆς ἐκείνου σκηρῆς συμπλάσασα. χορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ

1) Plutarch. Sol. 28.

2) Vit. ed. West. p. 58: σφόδρα εὐγενῆς γενόμενος τοῖς τρόποις. qui p. 7 χαλόν τε καὶ δεινὸν πρὸς κακουργίαν voluerunt, derisorem pro homine nefario habuerunt.

3) In qua re excusatorem nactus est Iulianum (Or. VII): ὃ γὰρ ὁ νόμος οὐ μετιδίδου παρη- σίας, τούτῳ προσήκον ἦν τὰς συμβολὰς καὶ πεποικλιμένας ἡδονῆ καὶ χάριτι παραφέρειν.

γράφεται· χρῆται γὰρ αὐτῇ ὁ Αἰώπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων,
ὡςπερ ἡ κωμῳδία τοῦ Αἰώ.

Ex hoc ingenio quod proposuimus et quod auctor imaginis illius tribuisse Aesopo videtur, definiendum est, quod Babrius Aesopum σοφὸν nominavit, hoc est scitum prudentiae auctorem. ex eodem ingenio fabulae Aesopiae eum duxerunt colorem, quo pertinent ad genus reprehensorium. Sunt autem omnino reprehendendi rationes duae ipso genere inter se diversae, altera modesti ac prudentis, altera immoderati et parum consulti. harum rationum alteram dici convenit musicam sive venustam, alteram vero rusticam sive inelegantem. quarum quae Musis utitur auspiciis, eam secutus est Hesiodus, cuius se discipulum profitetur Aesopus,¹⁾ altera, quae Satyrorum imitatur procacitatem, Archilochus et Hipponax inclaruerunt praestantissimi iambographorum,²⁾ inter quos primum locum tenuit Archilochus teste Quintiliano X, 1, 59: ‘ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum ad ἔξιν maxime pertinebit unus Archilochus. summa in hoc vis elocutionis, cum validae tum breves vibrantesque sententiae, plurimum sanguinis atque nervorum, adeo ut videatur quibusdam quod quoquam minor est, materiae esse non ingenii vitium’. Neque vero in sola materia id positum est, quod hanc iambicam poesin, quae musicae opponitur, genere secundariam dici convenit,³⁾ sed etiam in tractandi ratione. In distinguendis autem his generibus ut habeas quo firmiter insistas, locus repetendus est ex Aristotele, ubi docuit philosophus, ‘natam esse poeticam ex imitandi studio, ipsius autem imitationis causam exstitisse discendi seu cognoscendi studium universo hominum generi innatum ipsamque illam cognitionem per se esse iucundissimam non solum philosophis, sed etiam ceteris hominibus, quamquam his pro otii et consuetudinis diversitate aliam aliis iucundiorum. imitantium genera esse duo, alterum in laudando, alterum in reprehendendo occupatum. ad genus laudatorium pertinere ingenio excelsiores gravioresque, ad genus reprehensorium humiliores vilioresque. alteri generum illorum subiectam esse materiam pulchre et honeste factorum, alteri prave turpiterque factorum. ex altero genere

1) Plutarch. Conv. S. 14: ἀλλ’ Ἡσιόδου μὲν ἐμοὶ δοκεῖ δικαιώτερον Αἰώπος αὐτὸν ἀπογαίνων μαθητὴν ἢ Ἐπιμενίδης· τοῦτω γὰρ ἀρχὴν τῆς καλῆς ταύτης καὶ ποιικίλης καὶ πολυγλώσσου σοφίας ὁ πρὸς τὴν ἀηδύνα λόγος τοῦ ἱερακοῦ παρέσχηκεν.

2) Tzetzes in proleg. ad Lycophronem: ἀρπυραεῖς δὲ ἱαμβογράφοι τρεῖς· Ἀνάσιος, Ἀρχιλόχος, Ἰππῶνας.

3) Cfr. Naekius ad Choeril. p. 193 et Hartungius in eo libro, qui inscriptus est: ‘Lehren der Alten über die Dichtkunst’ p. 70.

ortam esse primum epicam poesin et deinde tragicam, ex altero primum iambicam ac deinde comicam.¹⁾

Hinc apparet, iambicae poeseos materiam, cuius esse vitium Quintilianus censuerat, si quoquam Archilochus minor sit, ad res pertinere prave turpiterque factas, quas quidem duplici posse ratione reprehendi diximus, aut musica aut iambica. Musicam viam praecivit Hesiodus OD 274, quo loco fratrem ad iustitiam colendam hortatur, sumpto a nativa hominis indole argumento:

ὦ Πέρση, σὺ δὲ ταῦτα μετὰ φρεσὶ βάλλεο σῆσι
καὶ νῦ δίκης ἐπάκουε, βίης δ' ἐπιλήθεο πόμπαν.
τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων·
ἰχθύσι μὲν καὶ θηροῖς καὶ οἰωνοῖς πετεινοῖς
ἔσθαι ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς·
ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη
γίγνεται. εἰ γὰρ τίς κ' ἐθέλη τὰ δίκαι' ἀγορεύειν
γινώσκων, τῷ μὲν τ' ὄλβον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς·
ὃς δὲ κε μαρτυρήσῃ ἐκὼν ἐπίορκον ὁμύσσας
ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάβας νήκεστον ἀσθῆ,
τοῦ δὲ τ' ἀμαυροτέρῃ γενεῇ μετόπισθε λέλειπται,
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεῇ μετόπισθεν ἀμείνων.

Ea lege ferini quoque hominum mores quasi arte quadam musica demulcendi putantur, si hoc pacto sint abituri. Videtur id sensisse Proclus, cum verba illa ἐν δὲ δίκην βλάβας his voluit illustrata: κάλλιστα τὸ φιλόσοφον ἦθος, οἷόν ἐστιν, εἶπε διὰ τούτων ὁ Πλούταρχος δηλοῦσθαι. τὸν μὲν Ἀρχίλοχον καὶ Ἰππώνικτα βλασφημίας συγγράψαι κατὰ τῶν λυπησιάντων — ἀλλὰ τὸν ὄντως μουσικὸν Ἡσίοδον μὴδὲν τοιοῦτο παθεῖν.²⁾ Hinc est, quod in praecipuo semper honore fuit poeta Asraeus apud omnes, qui suaviloquentiae laudem quaerent, cum de Archilocho licet et ipso poeta per omnem antiquitatem celebratissimo in diversissima abierint iudicia pro suo quisque ingenio et vitae consilio. alii enim prorsus damnandum, alii etiam Homero praeferendum existimarunt. Iam quo magis fiat perspicuum, quid fuerit illud, quo compulsus videatur Babrius ad iambicam illam poesin mate-

1) Poet. IV, 7: διεσπάρθη δὲ κατὰ τὰ οἰκίαι ἡθῆ ἢ ποιήσεις· οἱ μὲν γὰρ σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμμοῦντο πράξεις καὶ τὰς τῶν τοιούτων, οἱ δὲ ἐντελέστεροι τὰς τῶν γούλων, πρῶτον ψόγον ποιῶντες, ὡς περ ἕτεροι ὕμνους καὶ ἐγκώμια.

2) Ne solus in hac parte Hesiodus videatur relictus, accedat Schol. Aphthon. p. 18: ὅθεν καὶ πολλοὺς ὀρώμεν πρὸς ἔπαινον δεξιόθεν, οὐ μὴν καὶ πρὸς ψόγον, ὡς Ὀμηρον καὶ Πίνδαρον. ἐτίροντες τοῦναντίον, ὡς τὸν Ἀρχίλοχον.

ria fabulari mitigandam, ex magna de Archilocho testimoniorum multitudine pauca quaedam proponam, in quo, quantum fieri poterit, ipsis testantium verbis utar, quo certior constet fides dictorum. Est autem de Archilocho, qui unus propemodum totius generis iambici indolem praestat, copiosius exponendum, quam de Hippo- nacte, qui non est nisi eius metri causa attingendus, quo usus est Babrius.

Archilochum a duriore fuisse fortuna profectum ad carmina pangenda, concepta animo acerbitate quadam et amaritudine ideoque a grata Anacreontis facilitate abhorruisse, auctor est Iulianus Misopogonem his verbis exorsus: *Ἀνακρέοντι τῷ ποιητῇ πολλὰ ἐποιήθη μέλη σεμνὰ καὶ χαρίεντα. τρυφᾶν γὰρ ἔλαχεν ἐκ Μουσῶν. Ἀλκαίῳ δ' οὐκέτι οὐδ' Ἀρχιλόχῳ τῷ Παρίῳ τὴν μουσάν ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς εὐφροσύνας καὶ ἡδονὰς τρέψαι· μοχθεῖν γὰρ ἄλλοτε ἄλλως ἀναγκαζόμενοι τῇ μουσικῇ πρὸς τοῦτο ἐχρῶντο κοινότερα ποιοῦντες αὐτοῖς, ὅσα ὁ δαίμων ἐδίδου, τῇ εἰς τοὺς ἀδικοῦντας λοιδορία.* Non caret aliqua malignitatis suspicione imperatoria haec notatio, quae nolit fere nisi in leniendo iniuriarum dolore positum videri insectandi et conviciandi studium, cum tamen vel sola possit indignatio factorum turpitudine excitata versum facere. est autem haec notandi ratio una ex iis artibus, quibus abutuntur, qui in iustorum inopia argumentorum invictas probationes adhibita vulgi opinione in malam partem proclivi amoliri cupiunt. itaque cum ob hanc tum ob alias causas imperatorias aliquanto severius in Parium poetam animadvertit, in illo enim fragmento, quod dubitatur orationibus sit an epistolis accensendum, post verba [p. 529 ed. Pet.] *ἐπεὶ δὲ τὸν ἱερατικὸν βίον εἶναι χορὴ τοῦ πολιτικοῦ σεμνότερον, ἀκτέον ἐπὶ τοῦτον καὶ διδασκτέον,* quae verba satis aperte docent ipsius consilium, his igitur aliisque nonnullis expositis p. 549 haec edixit: *ἐξελατῆα τοίνυν ἐστὶν ἡμῖν πάντα τὰ ἐπαχθῆ σκώμματα, πᾶσα δὲ ἀσελγῆς ὁμιλία. καὶ ὅπως εἰδέναι ἔχῃς ὃ βούλομαι φράζειν, ἱερῶννμός τις μήτε Ἀρχιλόχον ἀναγνωσκέτω μήτε Ἰππώνακτα μήτε ἄλλον τινὰ τῶν ταῦτα γραφόντων.* Hoc edictum est vere imperatorium, cui multi obtemperarunt de Archilocho iudicantes.

Sed operae pretium est cognoscere, contra haec quid unus de ipso *ἱερῶννῶν* genere, auctor non spernendus, statuerit. Dio enim Chrysostomus [Or. Tars. pr. p. 386 D] non dubitavit ita laudare iambographum, ut Archilochi nervos ab illo Homericæ venustati praelatos appareat. *Καὶ μὴν ὅσα τὸ λοιδορεῖν καὶ τὴν ἀβελτερίαν τὴν ἐκάστου καὶ τὴν πονηρίαν ποιεῖν κρεῖττόν ἐστι τοῦ χαρίζεσθαι διὰ λόγων καὶ τοῖς ἐγκωμίοις θρύπτειν τοὺς ἀκούοντας, οὐχ ἥμισυ ἐκείθεν εἰσεσθε. δύο γὰρ ποιητῶν γεγονότων ἐξ ἀπαντος τοῦ αἰῶνος, οἷς οὐδένα τῶν ἄλλων ξυμβαλεῖν ἄξιον, Ὅμηρον τε καὶ Ἀρχιλόχον· τούτων Ὅμηρος μὲν σχεδὸν πάντα ἐνεκωμίασε καὶ φητὰ καὶ ὕδωρ καὶ γῆν καὶ ὄπλα καὶ ἵππους. καὶ οὐδὲν ἐστ' ὅτου μνησθεῖς χωρὶς ἐπαινῶν τε καὶ τιμῆς, ὡς ἂν εἴποι τις, παρῆλθεν. ἐν γοῦν μόνον ἐξ ἀπάντων ἐβλασφήμησε, Θεορσίτην, καὶ τοῦτον λιγὺν εἶναι φησὶν ἀγορητὴν. Ἀρχιλόχος δ' ἐπὶ τὴν ἐναντίαν ἤκειο ψέγειν ὄρων, οἴμαι, τοῦτον μᾶλλον δεομένους τοὺς ἀνθρώπους — ὡσθ' ὄλως λοιδορεῖν ἱκανὸς καὶ καθά-*

πτεσθαι καὶ φανερὰ λόγῳ ποιεῖν τὰ ἁμαρτήματα δῆλον ὅτι κρείττων ἐστὶ καὶ προέκριται τῶν ἐπαινούντων. Quem igitur damnaverat Iulianus, eundem Chrysostomus ipso Homero fuisse praestantiozem iudicavit, ut qui compertum haberit, plus valere ad mores emendandos censuram graviozem et castigationem, quam auditu suaviores rerum hominumque laudationes. Ad elevandam hanc iudiciorum diversitatem tertius acciendus testis est Lucianus, homo si quis alius in hac re fide dignus, qui totum, qualis fuit, Archilochum paucis verbis repraesentavit, in Pseudologista sic allocutus Timarchum: τὸ δὲ τοῦ Ἀρχιλόχου ἐκεῖνο ἤδη σοι λέγω ὅτι τέτυγα τοῦ πτεροῦ συνείληφας,¹⁾ εἶπερ τινὰ ποιητὴν ἰάμβων ἀκούεις Ἀρχίλοχον Πάριον τὸ γένος, ἄνδρα νομιδῆ ἑλεύθερον καὶ παρρησίᾳ συνόντα μηδὲν ὀκνοῦντα, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα λυπήσειν ἔμελλε τοὺς περιπειτεῖς ἐσομένους τῇ χολῇ τῶν ἰάμβων αὐτοῦ.

Propter libertatem illam quam ipse confitetur his verbis: ἐν δ' ἐπίσταμαι μέγα, τὸν κακῶς τι θρώντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι, non solum cum Hipponacte poetis, qui vehementiores ingenio acrioresque essent, pro exemplo fuit,²⁾ sed etiam in consociorum proverbium abiit.³⁾ Hanc iambographi indolem comparanti cum placida et mansueta Hesiodi mente OD 209:

ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν.

νίκης τε στέρεται πρὸς τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

non obscurum erit, unde viri vere musici laudem invenerit Hesiodus et ob quam causam Archilochus non solum proverbio illo male notante mulcatus, sed praeterea etiam, ne nihil intentatum sit, in adulterii et ignaviae criminationem proiectus fuerit. Sed admodum ego vereor, ne, qua lege Aesopo corporis deformitatem et scurrilitatem et maledicentiam affinxerunt, eadem lege Archilocho illarum rerum, quas Aelianus 10, 13 memoriae prodidit, maculas aspersionem aut improbi calumniatores aut homines dira credulitate tumentes, aut denique censores nimia morositate notabiles, qualis exortus est Heraclitus, qui Homerum pariter atque Archilochum a certaminis loco fuste arcendos censuit. Eius haud dissimiles evaserunt iudices Lacedaemonii carmina Archilochi e sua civitate eiicienda rati, 'quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrarentur', teste Valerio Maximo VII c. 3. Atque intempestivum illud verecundiae pudicitiaeque studium effecit, ut fragmenta tantummodo Archilochi ad nos pervenerint diversissimis scriptorum consiliis servata.

1) Ipse explicat: εἰκάζων ἐαυτὸν τῷ τέτυγι ὁ Ἀρχίλοχος, φύσει μὲν κέκρω ὄντι καὶ ἀνευ τινὸς ἀνάγκης, ὅποταν δὲ καὶ τοῦ πτεροῦ ληφθῆ, γεγωνότερον βοῶντι.

2) Sext. Emp. c. M. 1. p. 282: οἱ δὲ ὄργιλοι Ἰππώνακτα καὶ Ἀρχίλοχον ἀλείπτιας ἔχουσι τῆς περὶ αὐτοὺς κακίας.

3) Eustath. I. III p. 1684: ἦν γὰρ [Ἀρχίλοχος] ὁ ἀνὴρ δεινὸς ὑβρίζων. ὅθεν καὶ παροιμία ἐπὶ τῶν οὕτω σκώπτων εὐφρων· τὸν Ἀρχίλοχον πεπάτηκας, ὡς εἰ τις εἶποι σκόρπειον ἢ κακὴν ἄκανθαν.

Hipponax, quem loci Hesiodi interpret alterum constituerat in parte non musicorum, si quid est, quod proprium sibi vindicet, illud est, quod ingenium magis etiam quam reliqui iambographi acerbum violentumque prodidit, cui violentiae respondet oratio plenior aculeorum¹⁾ et metrum satirico generi aptius, cui de auctore nomen inditum est Hipponacteum. non potest enim quidquam excogitari ad sensum legentis quasi distortendum lacerandumve accommodatius, quam antispasticus ille versuum exitus continuo ordine recurrens, in quo singulorum cola extrema non obscure clamat ὀϊππῶναξ. Hoc usus metro est Babrius, qui, si consulto eum egisse statuas, vel maxime illa re videri potest indicare voluisse, in reprehensorio se genere versatum esse, quod genus Aesopi apologis mitigandum sibi sumpsisset. Diximus quidem, Aesopi fabulas et ipsas vergere ad genus reprehensorium, sed iidem observavimus, posse omnis apologi in imitatione positi vim immutari pro eorum, qui eodem utuntur, aut ingenii aut consilii diversitate, quo fieri potest, ut apologus a satirico homine inventus, ubi mitiori coepit ingenio servire, tanquam mansuetiorem aliquam naturam assumpsisse videatur.

Ventum eo est, ut, quae hactenus a nobis singulatim disputata enarrataque sunt, in unum cogenda videantur, unde perspicienti partes illas easque in unum quasi finem directas cum duobus prooemiis supra expositis comparanti eluceat, Babrio, quod paucis verbis comprehendimus, id fuisse consilium in auspicanda poesi mythiambica, ut iambicae acerbiteratem mitigaret adhibita materie apologorum, ne non musica illa videretur.

Progenuerat depravata hominum natura poesin reprehensoriam, quae mature videtur discrevisse in genus musicum et iambicum, in quo brevitatis causa liceat dicamus satiram musicam et satiram iambicam. Musica relicta erat et concessa poetis philosophis, iambica autem, secretis sillorum sugillationibus, mancipata fuit iambographis. musica ut erat tanquam in ditione urbanitatis, ita impar visa est eius atrocitati, qui non 'culturae patientem praebeat aurem', iambica cum in recto incessendi studio non declinaret acerbiteratem, in invidiam incidit et odium laesorum indeque gliscentem infamiam, non cessante periculo, quemadmodum exemplum docuit Archilochi et Hipponactis. Tanquam in medio positus obtinuerat apologus, utrique paratus generi, ab utroque ducturus colorem. Sunt autem blandimenta quaedam apologorum et quasi lenocinia, quae imperitiores in ludicra puerilia detorserunt, quorum hoc loco nulla est ratio, doctiores partim ad temperanda varia poeseos genera, partim ad causas suasorias adhibuerunt, alii rarius, alii toto genere. Rariorem fecerunt usum, quos laudat Iulianus [Or. VII]: Homerus, Hesio-

1) Eustath. ad Od. XI p. 1684: ὅτι δὲ σκωπτόλης τὰ πρῶτα ὁ ἱεμβος, θελοῖ καὶ ὁ μικρὸς ἰππῶναξ. Cfr. Welcker in Hipp. fr. p. 4.

du, Archilochus,¹⁾ Plato, Thucydides, quorum agmen claudit Aesopus, cui 'πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐκμενύθωται'. Babrius vero ingenii Hesiodi admirator ab eiusdem discipulo Phryge perguit ad Parium castigatorem, atque ex Aesopi μύθῳ et Archilochi ἰάμβῳ condit μνθιάμβον, quem instruit Hipponactis χωλιάμβῳ.

ἀλλ' ἐγὼ νῆη μουσῆ
 λύκῳ δίδωμι καρχαρόν χαλινώσας
 τὸν μνθιάμβον ὡςπερ ἵππον δπλίτην.

Testimonio est, quod ab aurea aetate, qua omnis aberat iniuria, deorum intercedente cum hominibus familiaritate ac praesente consuetudine, terraque, quae ad victum cultumque essent necessaria, sponte subministrante, exorsus per gradus depravationum contendit ad ea tempora, quibus aptum fuit homini musico dicere, ex Aesopi mythis

μελισσταγές σου νῶ τὸ κηρίον θήσω
 πυρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλήνας

in quibus πυρῶν ἰάμβοι iambicae poeseos acerbiter et σκληρὰ κῶλα rigidum Hipponactis metrum indicant.

Testimonio sunt verba:

ἐγὼ δὲ λευκῇ μνθιάζομαι ῥήσει
 καὶ τῶν ἰάμβων τοὺς δδόντας οὐ θήσω,
 ἀλλ' εὖ πρῶσας, εὖ δὲ κέντρα πηρήνας
 ἐκ δευτέρου σοι τήνδε βίβλον ἀείδω.

Testimonio est ipsa apologorum natura et ratio, qualem in Aesopico genere demonstravimus. Non meditatus est Babrius illas fabellas, quae ipsi 'priscorum hominum Syrorum inventum'²⁾ dicuntur, non Libycas, quae in nutricum essent oblectamentis, sed Aesopi apologos, qui iuventuti Graecorum commendabiles videntur viris olim profuturi. Huius non omnes quidem mythos singulos, quod fieri non potuit, sed totum genus aggressus est Babrius in usum μουσικῆς ἡθοποιίας, cuius speciem formamque acceperat ab Hesiodo. Proinde varios mythorum usus recte exegeris ad hanc pro auctorum diversitate positam rationem: Hesiodus docendo leniter quasi reflectit, si quid illatum sit iniuriae, Aesopus ridendo eludit prava hominum consilia, Archilochus et Hipponax graviter irascendo insectantur 'omne nefas': [ἐν δ' ἐπίσταμαι μέγα, τὸν κακῶς τι δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι], Babrius novellam gravioris disciplinae musam auget mythiambo ab utraque parte temperato.

1) P. 388: ἡδέματα ταῦτα [τῶν μύθων] παρὰ τῆς ποιητικῆς Μούσης ἐδρέματο καὶ παρέθηξέ γε αὐτὸς τοῦτον χάριν, ὅπως μὴ συλλογράφος τις, ἀλλὰ ποιητῆς νομισθεῖη.

2) Nini tempora et Beli ob eam videtur causam posuisse, quam perhibuit Macrobius Som. Sc. 2, 10: 'supra Ninum — nihil praeclarum in libros relatum est'.

Pro duplici illa consilii ratione, qua mythum auctor conciliatum ibat cum iambo, propositum habuerit necesse est, ut mythiambus utriusque generis partibus iis responderet, quae in utroque praecipuae iudicantur. Continentur autem praecipuae virtutes illae cum argumenti simplicitate, quam brevitatis pariat cum perspicuitate, tum sermonis elegantia, quae sit immunis ab ornatu poetico.

Itane vero factum, quaeris, a Babrio, ut factum sumpserim? Nescio, sed credo, quia sic rei convenientissimum reor. Non nego, fieri potuisse, ut Babrius in eorum fuerit numero, qui Aesopi fabulas aut in vilibus puerorum ludicris mulierumve oblectationibus ponerent aut in exercitationibus metricis, sed maxima pars mythiamborum ingenium prodit a levioribus istis negotiis alienum. quamquam harum fabularum, quae Babrio tribuuntur, ea est conditio, ut fides non possit per omnia certo constare. non desunt enim inter illas, quae nec legi respondeant supra constitutae, neque aut Babrio aut ullo omnino bonae notae scriptore dignae videantur. Huius generis est f. 34. 'Sacris Cerealibus, tauro deae immolato, mensas circumstat turba rustica carnibus instructas. unus puerorum, qui intemperantius degustaverat, 'pingui tentus omaso' domum repetit conflictatus intestinorum torminibus. ibi tum matrem amplexus: hei mihi, inquit, quid de me futurum est? misellus ego disperii. viscera enim omnia nituntur exitum. Cui mater: bono sis animo. missa fac ista, ne tu parcito. nam taurina sunt, non tua, quae vomiturus es. Si quis, bonis orphani consumptis, postmodum illa laborat rependere, adversus illum abuti possis hac fabula.' Ad haec Menas: 'Βαλεβρίας paraît avoir souffert de la part de son mauvais tuteur. Autrement il ne devait pas retreindre l'idée de la fable dans cette seule circonstance que son affabulation désigne'. Hermannus versus illos epimythios delendos censet ob causam metricam, sed per argumenti tractationem tota fabula cum affabulatione digna est, quae deleatur. aut enim rem commendat improbissimam aut gritho est simillima. Videtur ergo cum aliis compluribus profecta esse aut ab aliquo Babrii imitatore aut a librario, qui Babrianos mythiambos κατὰ στοιχείον in unum corpus conserere singulasque fabulas epimythiis tum prosis tum choliambicis augere instituerat. Ipse autem testatur Babrius, vulgatis a se primo mythiambis continuo exortos esse imitatores, qui novum genus illud occuparent:

ὑπ' ἐμοῦ δὲ πρώτου τῆς θύρας ἀνοιχθείσης
 εἰσῆλθον ἄλλοι καὶ σοφωτέρας μούσης
 γρίφοις ὁμοίας ἐκφέρουσι ποιήσεις,
 μαθόντες οὐδὲν πλεῖον ἡμὲ γινώσκειν.

Drogan.